Danskernes Historie Online
Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliserings-projekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: https://slaegtsbibliotek.dk
Danske Slægtsforskere: https://slaegt.dk

A. W. Nitzsch
Andreas Wilhelm Cramer
1833

Memoria

Andreae Guilielmi Crameri

inter juris civilis interpretes

celeberrimi

nuper defuncti.

Obiit die XXIII. mensis Januarii anni MDCCCXXXIII.

Auctoritate

Senatus Academici Kiliensis

scripsit

Greg. Guilielmus Nitzschius

Ant. Litt. Prof.



Kiliae.

Ex officina Christiani Friderici Mohr.

Si nihil neque ad Dei benignitatem laetius uberiusque, neque ad dignitatem humanam venerabilius videri potest quam senex post aetatem sancte strenueque peractam integer et viridis, talium senum ineunte anno XXXII. velut coronâ societas nostra decorabatur. Parabamus tum muneris academici quinquagennalia Eckermanno nostro, qui, uti partâ laude etiam nunc fruitur, tunc longam non annorum magis quam meritorum seriem respiciebat vegetus et laetus. Ab eo qui aetate proximus erat, Cramerus, veteri amico et per XLVI annos collegae suae gratulationis caussa libellum scribebat, industriae nihil deficientis, hilaritatisque paene juvenilis testem atque interpretem tam luculentum, ut hunc senem ejusdem sollemnitatis mensuram non modo expleturum sed superaturum esse, exspectatione laetissimâ praeciperemus. Tertius accedebat Niemannus, quem ad idem usque tempus senectute paene formosâ Cramero simillimum videramus. Verum dies sollemnis ipse, qui mens. April. XX^{mus} fuit, senum felicium adspectum nobis paene supremum praebuit. Proximo jam mense obiit Niemannus, ejusque obitus quum omnes dolentissime affecit, tum primum etiam impulit Cramerum, antehac mirifice vigentem. Niemannvm enim vero totius quod in societate nostra transegerat curriculi comitem conjunctissimum, multisque praeterea nominibus sibi gemellum habuerat. Uterque a naturâ exiguum corpus, ingenium omnis humanitatis avidissimum ac tale acceperat, cui vita sine musis vitalis non videretur; uterque naturae bona iisdem disciplinae juvenilis nutrimentis percoluerat, et per omnem vitam politi ingenii venustatem oris facundia prodebat, maximeque patrii sermonis usum singulari temperabat elegantiâ. Praeterea ab eâdem jurium disciplinâ profecti

in diversa quidem studia discesserant; nam Niemannus, non ille ἐφήμερα φρονῶν, at hodiernus tamen quidam, rerum publicarum quae nunc sunt maximeque patriorum institutorum omnes utititates sectabatur, Cramerus, quamvis laetus praesentibus, a doctrinae studiis antiquus Romanae antiquitatis memoriam per omnia monumentorum latibula conquirebat. Sed quamvis diversa persequerentur, industriae sedulitatisque nunquam remissae laus vel in senibus eadem et par in utroque: similis denique in utroque facetiis laeta festivitas, quanquam in Cramero juvenilius licentiusque eludebat, dum hic libero ore sales aculeosque ubique spargit, ille, ne stomachari quidem nisi dissimulanter leniterque solitus, colloquio familiari urbanitatis condimenta admiscet. Hoc igitur tam conjuncto tamque compari orbatus Cramerus gravissime commoveri visus est. Ejus vero casus acerbitate affectum mox gravior etiam afflixit domesticus. Nimium vere in praefatione libelli Eckermanno dedicati profiteri potuerat, vitam se vivere ultra votum tranquillam. Habuerat domum, quasi certo foedere fundatam, aequabili per multos annos felicitate plenam atque integram. Nam ex praematurâ generi dilectissimi morte hoc lucratus solatium, ut filiam viduam cum neptibus domum suam reciperet, ipse et pater et avus cum uxore in dulcissimâ filiorum filiarumque, nepotum et affinium consuetudine degebat. Ipsa uxor eâdem in suo genere industriâ ac strenuitate, quae juveni ac prima contendenti per dies noctesque assederat, quotidiana ambulationum, deinde itinerum saepe comes, semper tristia laetaque, seria jocosque partita, tum corpus senile quamvis infirmius pari atque ipse vigore sustentabat. Eam asthmatis malo tandem oppressam d. VII. Junii m. amisit. Sic senem anno aetatis septuagesimo tertio vitae operaeque laetissimum primo carissimorum capitum decessus prior, mox morbi vicissitudines sensim paullatimque ad alterius vitae desiderium traduxerunt. Nam conjuge erepta tum actae aetatis solitudinem, id quod ante Niemanni obitum vix unquam audiveramus, crebrioribus conqueri vocibus incipiebat. Nec tamen a studiis quidquam remittens mox etiam publico se red-

didit, non illâ quâ ante cum alacritate, sed ut in tranquillo constantique, qui dolorem premendo aleret, pristinae etiam festivitatis reliquias agnosceres. Ita dispositum per paucas hebdomades videramus, quum ipso jam Junio mense fellis suffusio pertinax indicio fuit, vetus ac saepe coercitum jecinoris indurescentis malum tum ingravescere. Insequuta est diuturna per septem paene menses aegrotatio, quae, quamquam medicus intelligentissimus statim ab initio sollicitudinis multum injecit, eas tamen remissiones habuit, ut interdum in spem meliorem erigeremur. Jam per aliquot hebdomades lecto detentus, et prurigine per totam cutem diffusâ vehementer inquies, quum Croppium, olim Heidelbergensem, Lubecae, ubi Tribunali appellationum assessor merebat, subitâ morte absumptum audisset, *„Viri orbi literario ostensi magis quam concessi funus acerbissimum"* publico ad Commilitones elogio prosequutus est. Sub initium deinde mensis Septembris scholarum academicarum indici quae insererentur, assidenti collegae haec dictavit: *In nonam et quod superat hebdomadem lecto affixus ab nullo neque artis neque naturae beneficio adhuc levatus, quam diu hunc, qualemque, si in fatis est, vitae mimum acturus sim, futurorum nescius ignoro. Quare quum ex me quaeratur, ecquidnam instanti semestre ad eruditas dapes collegarum allaturus sim symbolae, nihil me adhuc definire posse, quod res est, respondi; ideoque et Vos, Commilitones, exspectare jubeo, quid ea de re, si tempus fuerit, communicaturus sim.* Non egressus est amplius cubile, nisi quod proximis diebus aliquoties ad vaporarium deducebatur, quo remedio jecur nonnihil emollitum brevem relaxationem effecit. Mox per aliquantum temporis diu noctuque insomnis miros impotentesque ingenii sui per nocturnas vigilias appetitus querebatur. *En,* inquiebat, *mens mihi duplex; altera me versus latinos procudere vel invitum adigit, altera ita ludenti castigatrix adstat, eas nugas esse crepans, vehementer indignabunda.* Verum enim vero, quicunque eum tum misere exercitum viderunt, aliud quiddam commentatum

eum sciunt praeter versiculos. Constantiam eum meditari verissime diceres. Qui, quamvis summis undique molestiis vexatus, non ullâ voce querulus, neque gravis cuiquam, tranquille amanterque frui suorum officiis medicique operâ. Ita quum mens certe vigorem usque teneret, mense Decembri multum levatus, quasi redditus sibi ad pristinum vitae tenorem redire videbatur. Lecto bene mane relicto et studia repetiit pristina, et aliquot horas in eâ operâ consumpsit, quam bibliothecae publicae navare domi poterat, summâ utrumque industriâ. Jamque ver proximum spectare et iter ad Aquas Mattiacas cogitare coepit. Huic ut sumptus expeditiores pararet (sic enim loquebatur), ex schedulis delegit, quas paullum retractatas transscriptasque editioni destinaret. Quarum ab ipso ne tantum quidem esse confectum, quantum libellum separatim edendum expleret, impense dolemus. Neque enim consilio vires diu suffecerunt. Nempe Deus eum non hoc ver videre amplius voluit, quod nunc ipsum foliis caducis ac flore perituro induitur, sed illud, de quo poetae sunt verba christiani:

Vita quid est? mortalis hiems. Quid clausula vitae?
Veris inexpliciti perpetuanda dies!

Ergo post dies nato Christo festos eo quidem redactus est, ut lectus eum non dimitteret nisi in singulas velut tentandarum virium horas; ceterum ne tum quidem quidquam mutabatur. Quum decumbentem collegae et amici visitabant, omnes semper mirari mentem a suorum studiorum recordatione nihil alienatam, neque ad sermones de quocunque literarum genere conferendos quidquam deficientem. Tenebamus eundem, quem semper noveramus; modo quod lusibus depositis severitatem ipse sumpsisse videbatur. Ita perduranti duo libri allati sunt, a venerabundis editoribus transmissi, alter qui ipsius nomen Niebuhrio aliisque civilis prudentiae principibus consertum retulit, corpus juris a Schradero recensitum, alter Böckingii, qui Brachylogum illum denuo editum habuit. Fuerunt ei haec dona acceptissima, neque accepit ea tantummodo, sed inspexit, ponderavit,

docto cum judicio amicis visitantibus exhibuit. Omnino enim studia ex animo non ante dimisit, quam pridie ejus diei, quo mortis appropinquantis sensus eum intraret; ita ut ab ipso potius, quum hinc migraret, deposita esse, quam eum defecisse dicenda sint. Suppeditavit Dei voluntas ei integram hanc ad extremos spiritus mentem, ut *portum, ad quem appelleret*, ipse prospiceret animo recto ac tranquillo. Pridie quam decederet, d. XXII m. Jan., quum sero jam vesperi medicus se usque ad mediam noctem ei affuturum promisisset, ipse sentiens, quid ille portenderet: *hodie*, inquit, *non vere auguratus esse reperietur.* Jubet ei coenam parari, ipsum assidere; discedunt cum medico suorum alii in proximum conclave; alii commeant, quorum accessus et discessus animadvertit et, si quid vellent, monstrat. Postea, dum medicus et proximus quisque per sanctum illud silentium adsunt, primum ille: *„Faciemne Tu jam Hippocraticam deprehendis?"* et mox: *„Nunc*, inquit, *prospicimus portum, modo locum, quo escendamus, nondum cepimus."* Haec effatus ipse corpus versus parietem convertit, itaque reclinatum componit; jamque non voce amplius missâ non sine naturae valentissimae luctatione h. tertiâ diei XXIII. m. Januarii exspirat.

Quum is valetudinis tam diuturnae tamque ancipitis fuisset decursus, et collega proximus eum quotidie visitatum postremis demum diebus pristinas curas abjicere vidisset: ipse viri insignis exitus plerisque inexspectatus accidit; sed fama cito dimanans singulari omnes modo commovit. Exsequias sollemnes sibi fieri vetuerat, sed commilitonum et aliorum, qui sponte confluxerant, is fuit numerus, ut pompa a sollemni non multum differret.

Putavimus haec maxime ac primum referenda esse, quibus exteros de extremis senis clarissimi temporibus commonefaceremus. Et poterat in hac narratione acquiescendum videri. Neque enim, quae defuncti fuit tum virtus tum felicitas, ejus memoria vel ad aequalium recordationem admonitione, vel ad posteritatis fidem elogio egebat. Utrique ipse ita providerat, ut, etiamsi nostrae chartae

silerent, qualem virum amissum doleamus, non posset non ab omnibus satis sentiri. Nam fuit quidem semper discendi longe avidior quam scribendi, sed libelli illi, quos pro studii fervidi, ampli, semper aliquid acquirentis diuturnitate paucissimos edidit, certe quidem ejus nomen in duraturam claritatem asseruerunt. De vita autem sua itinerumque repertis ipse in *Chronicis domesticis* tam libere et aperte, tantoque cum omnium facetiarum lepore exposuit, ut ea qui legerit ignorare virum aut non in deliciis habere certe nemo possit. Exsultabat, quum illa scribebat, ac luxuriabatur recuperato mentis vigore, quam antea morbus ad delirii similitudinem afflixerat; sed CRAMERUS, quem libellus iste refert, ab eo, quem familiares saepe experiebantur, vix quidquam differt: peculiare ei libro et insigne hoc unum inesse dicas, quod quâ alias in sermonibus licentiâ eludebat, eandem tum summam apud lectores usurpavit; neque ipsum scriptorum postea poenituit. Accedit, quod per easdem, de quibus in Chronicis retulit, peregrinationes ingenti doctorum per Germaniam Helvetiamque numero et notus et perspectus fuit. Quis autem hunc visum cognitumque non in fideli memoriâ reponeret? qui, nisi facetus ut erat alienae aliquid personae consulto induit, tam expositus ad congressus tamque ad sermones promptus erat, ut a nemine discederet, quin aliquam sive eruditionis sive urbanitatis memoriam in salutatorum animis relinqueret.

Hac igitur celebritate quum apud exteros floreret, eamque ad extremos annos literarum commercio satis crebro aleret: ne civium quidem consuetudini senem vegetum agilemque prior quam postremae valetudinis caussa subtraxit. Quocirca utebamur hac rei ad usus proximos parum necessariae excusatione, dum funus funeri continuatum in perpetuo moerore academiam tenebat. Extuleramus CRAMERUM intra tredecim mensium spatium post LUEDERSIUM, REIMERUM, NIEMANNUM collegarum quartum; mox quintum BERGERI, sextum FISCHERI tumulum adjecimus. Nunc demum, postquam animus ad consideranda, quae amisimus, bona sedatior rediit, CRAMERI quoque imaginem,

laetiorem illam et festivam, qualem ante hunc annum funestum longo retro tempore eundem reminiscimur, liberiore recordatione recolere vacat. Quodsi ejus ingenium varie ornatum ab iis, qui eum norant, ipsis facile rectius sentiri, quam nostris verbis describi potest: tantum certe praestabimus, ut memor satis pietas haec perhibuisse videatur. Neque non sentimus, pietatis ea caussa quantum in hujus nominis memoriâ ingravescat:

> Multa viri virtus animo, *multusque recursat*
> *gentis honos!*

Quamvis enim suis nominibus carus commendatusque esset, eundem tamen academia paternae claritatis et gratiae haeredem quendam colebat; ut nunc hoc quoque adempto Cramerorum nomen quam in rebus nostris magnum quantâque cum caritate proprium fuerit, communi nobis desiderio in mentem redeat.

Audimus vel superstitem unum atque alterum, qui auream sub Cramero Cancellario aetatem ore gratulabundo ferat, sed omnino fama nobilis apud omnes Crameri patris nomen cum illo Bernstorfiorum copulatissimum huic universitati literarum unice laetum et quasi geniale celebrat. Diu neglecta torpuerat ac prope ad incitas erat redacta, quum anno MDCCLXXIII. ex Magni Ducis in Regiae domus dicionem et mox in Bernstorfii alterius curam tutelamque cessit. Qui nihil cunctatus Cramerum Lubecâ, quo propter superiorum temporum iniquitatem Hafniâ concesserat, in hanc academiam non solum doctorem adscivit, sed Procancellarii nomine ac dignitate praesidem ei quendam praefecit, suique, quo ipse eam alebat, favoris administrum et actorem praecipuum constituit. Ita apud nos alterum vitae stadium ingressus, claritatem in priore vitâ altam atque adultam in nostrarum rerum florem prosperitatemque convertit. Nam anno LXXV^to^ summâ omnium gratulatione exceptus, gratiae, qua jam dudum florebat, omina omnia egregie comprobavit. Nihil de ejus virtute ac meritis filius in Chronicis, nihil in orationibus fune-

bribus Guil. Christiani aut Henr. Muellerus praedicarunt, quod non tum superstitum recordatio grata, tum ipsa rerum transactarum utilitas perennis plane confirment. Ex omnibus autem, quae in hujus academiae totiusque terrae utilitatem intelligenter ille egregieque peregit, quì non his temporibus, quum orba tot funeribus academia solitudinem justissime conqueritur, eam potissimum ejus curam efferamus, qua varios disciplinarum locos suis doctoribus instruxit? Nihil enim verius dici potest, quam illum suo studio et intelligenti omnis eruditionis amore pariter ac superiorum voluntate et gratiâ promptissimâ academiae velut genium divinitus missum praesenti quodam numine adfuisse. Qui intelligenter existimans, quibus quarumque artium magistris literarum universitas indigeret, quae patriae desideriis, quae humanitatis caussae satisfaceret: idoneos spectatosque undecunque poterat vocavit, neque ullum unquam locum diu vacare passus est. Praecipue autem, in quo tutela academiarum liberalis maxime cernitur, non contentus iis disciplinis magistros quaesiisse, quae discentes in vitae usus ac munera instruunt, philosophorum illum ordinem, qui ingenuae eruditionis caussas potissimas complectitur, in justum numerum augere semper studuit. Ac tali tamque dignâ ipso et fautoribus ejus diligentiâ quum huic societati quasi rex quidam philosophus praesideret: favoris intelligentis lumen laetum ac foecundum ad omnia docentium discentiumque studia pertinebat.

Hoc igitur patre etiam tum vivente ac florente filius Andreas Guilielmus, doctoris academici locum occupavit anno sup. saec. LXXXVI^to. Sed quo suasore et auspice hoc curriculum ingressus erat, eum ad enitendum adjutorem non erat habiturus. Post duos enim annos pater decessit. Verum quam antea spectante patre exhibiturus fuerat virtutem, eâ nunc ipse iter expedivit. Habuit enim satis in sese subsidii ac nervorum, quibus feliciter contenderet. Ac nisi disiplina, quâ adolescens in scholâ Grimmensi imbutus est, studia ejus nimium in doctam antiquitatis cognitionem convertisset, gnavi

ingenii indoles eum facile in aliam viam traduxisset, quae ad vitae si non beatitudinem certe lautitias et splendorem brevior habetur. Natura enim CRAMERUM non philosophum, sed vitae actorem dexterrimum finxerat, nisi rectius ipso Platonis vocabulo πρακτικὸν dicas. Animus ei non abstrusam in profundo veritatem eruere, non idearum contemplatione pasci avebat, aut illo desiderio suspensus tenebatur, quo quis his quasi vinculis reluctans, meliorisque usque appetens prae humanis aeterna persequitur, quale in BERGERO nuper nostro fuisse familiarissimus quisque probe meminit; sed CRAMERUS ut laetus praesentibus et concessis, atque, dum sua honestati justitiaeque dignitas constaret, ultra credendorum brevem summam nihil quaeritans, ita plenus ejus intelligentiae, quae de rebus praesentibus callide existimat, humanorum institutorum usque plus cognitione comprehendere studebat, et in iis, quae in facto posita ac testata quasi coram considerari poterant, scitissime versabatur. Eadem natura eum ad colloquendum quam ad scribendum, ad aequalium commercia colenda quam ad promerendam posterorum gratiam longe reddidit promptiorem. Qui si aliâ condicione vixisset, fortasse praesens praesentium discipulorum usu et conversatione laetissimus ne literam quidem ad posteros ipse dedisset. Nam, quidquid scribebat, atque adeo saepe, quae suo sibi usui in miscellaneis notabat, sermonum varietatem et alacritatem quandam semper referebant. Neque, si quid quod publice ederet commentatus erat, ab animo impetrare potuit, quin ad collegarum unum alterumque deferret, ipse praelegeret, praesentium judicia coram experiretur. Neque omnino non multa saepe coram agere quam per literas, aut ipse subire operas quam aliorum ministeriis uti malebat, ne de personae quidem suae gravitate admodum sollicitus. Etenim non mentem magis ad res deprehendendas existimandasque callidam, quam corpus et agile et vel ad opificum vicem compensandam dexterum habebat et expeditum. Satisne igitur vere hariolamur, hunc ad res gerendas natum, si institutio juvenilis non potius doctrinae ei studia Romanaeque maxime

antiquitatis pervestigationem commendassent, ad civitatis munera et honores felicissime potuisse eniti? Nunc enim vero, postquam ingenium acre et strenuum, quod jam domestica consuetudo eruditionis scientiaeque aviditate imbuerat, magistrorum Grimmensium virtute et institutione Romanorum maxime literis assertum et condicione pulcerrimâ quasi mancipatum est, pro vitae civilis vel publicae actore literatus et verissimi nominis historicus i. e. monumentorum interpres evasit. Historicum enim ad etymi veritatem eum dicimus, qui humanarum rerum et societatis civilis in memoriam omni operâ studiosissime inquirit, quique in exigendis singulis et operosissimus et intelligentissimus, totum conficere non ita studet, ut rerum varietatem ideae subjiciat, sed ut ex singulis, quae re et usu nexa fuerunt, ne ad corrotundandam quasi summam h. e. ad plenam memoriae testatae lucem quidquam desit. Talem autem Cramerum fuisse, quis non agnoverit? Verum et attinet et juvat viri praestantissimi imaginem, ut naturam illam exhibuerit sectamque persequutus sit, uberius explicare.

Diximus ingeniosum et facetum, et fuit certe, ex cujus vel inviti sermone et paene ore ipso faceti ingenii indicia tam crebra et manifesta emicabant, ut, si indoctum se fingere et potuit et voluit saepe, stupidum, etiam si voluisset, vix tamen posset. Habemus ipsum in Chronicis de itineribus illis narrantem lepidissime, quum nullo assumpto neque auriga neque alio ministro, ipse currus et caballi per Germaniae deversoria nobilissimi rector, omnes itinerum casus sua unius dexteritate tolerabat. Quo modo ac regimine quum ad Aquas Mattiacas aliosque id locorum fontes pervenerat, notum exspectatumque advenam undique confluentium corona consalutabat; neque deinceps festivitatis dispensator sui usquam copiam fecit, quin magnâ non morosorum frequentiâ celebraretur. Pari modo etiam post tertiam, de qua ipse auctor est, ad aquas medicatas peregrinationem jam senior itineribus brevioribus ad urbes vicinas excurrebat saepe solus. Tum videres eum ex deversorio aliquo vel mediâ de viâ,

ut quemque obvium habuit, vel militem exauctoratum et membris debilem, vel opificem peregrinatorem, vel cum filiolâ matronam in rhedae anticam vel suam etiam sedem recipere, assumptâ personâ aliquâ confabulationem et inire facetissime et scitissime persequi, interdum etiam, cum mulierculis praesertim, quasi aurigam hero opulento addictum de mercede pacisci, vel, si quam ipsae mercedem obtulissent, strenue negare eam sibi accipere per herum licere, at filiolae osculum scilicet non recusaturum; donec non intellectus receptos, quo voluerant, deponeret. Ipse fabulâ defunctus mox, nisi ad bibliothecas, sive Lubecae ad Heysios suos, Schweppios, Croppios, sive ad Gurlittium Lehmannumve suum Hamburgi properabat, inque sermonibus, quos cum his agitabat, haud sane istos de itinere lusus expromebat, sed inter suarum literarum copias lectionis maxime variae flores delibabat, illamque sequebatur ingenii promptitudinem, quae ex dissitis similia captare eleganter et jucundissime didicit. Neque vero, si eum multa saepe lusisse dicimus, non summam in eodem fuisse severitatem volumus. Nam facile convenit, alios alia decere, tuendamque esse suam cuique personam; ut quibusdam major quaedam, quam ceteris virtutibus redemerint, licentia concedatur. Quod si cui severiori Cramerus interdum jocis implicuisse ea videatur, quae decenter potius verecundeque habenda fuerint: primum nolimus illud viro consultissimo non satis excusatum haberi, quod nuper, quum apud nos primum studia omnium in emendandae reipublicae appetitus ruerent, et multi in eam consultationem involare admodum leves viderentur, quod tum illos aestus suis quasi salibus restinguere paullulum studuit, ipse de se quidem ita professus, se suarum rerum satagere, neque aut vacuum satis aut temerarium esse, qui in rerum sibi parum cognitarum partem praepostere sese inferret. Plures tum illos sales vituperarunt potius quam quantum iis subesset constantiae severae expenderent. Atqui Cramerus (nisi etiam meminerat, improbus libertatis publicae amor quo fratrem olim suum detulisset), intelligens scilicet quantum esset rei publicae consulere, concupiscentium

impetus, disserentium levitatem moleste suo jure ferebat. Deinde nihil ei magis certum fixumque erat, quam publicae salutis rationem non tam institutorum descriptione quam utentium virtute constare; proinde proxime hoc quisque videret, cum Platone hortabatur, ut τὰ ἑαυτοῦ πράττων suum quisque locum bene tueretur. Quam cautionem praeceptionemque omnem erunt quidem, qui ex tranquillitatis illo otiique amore repetant, quo novas res Cramerus vix meliore omine acceperit, quam veteres Romani eas soleant nuncupare. Verum, licet non prorsus isti male ejus animum interpretentur, nihilo tamen minus sapienter praecepisse censendus est; neque ejusmodi praecepta non eum satis decebant, qui ipse, quod suum esse putavit, tam constantis studii ardore persequebatur. Quem si quis interrogasset, quid homini ad expetendum sequendumque primum videretur, ter respondisset: Literae! aut si deus aliquis ex collatorum per saturam bonorum penu optionem liberam fecisset, sine ulla cunctatione inventum, quo literas augeret, deprompsisset. Harum studio ut vel domi plenius satisfaceret, vel peregre nova instrumenta iret conquisitum, ea sola fuit caussa, cur homo summae frugalitatis opes sibi interdum majores expeteret. Literarum dignitatem ante omnia assertam cupiebat, levitatem et negligentiam et sibi et aliis in quovis prope genere patientius indulgebat, quam in iis, quae ad literarum curam pertinerent. Quamvis enim et sibi et suis ita in animum induxisset, sine justitiâ atque integritate laudem homini nullam constare, tamen, si humanitatis vim et officia quaerimus, literas deseruisse aut vili pendere illi certissimum nefas, eas amasse et juvisse certissima laus videbatur. Quem ejus animum ipse quisque deprehenderet facillime, qui ejus sermonibus praesens intervenisset. Ingeniorum diversitas ac proprietas omnis in eo maxime cernitur, quid quisque ludicrum risuique obnoxium habeat, quid serium et vel jocis intactum; deinde quid aliud agentem maxime convertat. Cramerus autem saepe quum inter familiares per omnia luderet, ut primum doctae aliquid quaestionis incidit, tum repente ad severitatem revocatus atque vultu

quoque habituque ad gravitatem composito injectam mentionem arripere, quaestionem studiose inire, initamque persequi intentissime. Atque idem animi sui judicium manifesto prodidit eorum virorum significatione, quos sive in sermonibus sive in scriptis summâ admiratione mactatos extulit. Jam adolescentulum in schola Grimmensi Mueckii scientia multiplex, inter doctores academicos Sammetius et Trendlenburgius eâdem ubertate insignes converterant. Consueverat deinde lectionis usu cum literatissimis illis Romanae antiquitatis interpretibus, qui saeculo sexto decimo Galliam maxime honestarunt. Porro in peregrinationibus si quem literarum multarum hominem convenire poterat, ut Martinium Lagunam, Gurlittium, Schlichtegrollium: his avidissime sese applicabat, eosdem in narratione summo honore ferebat; neque omnino, si quem laudibus ornatum cupiebat, satis id se effecisse putabat, nisi ceteris praedicationis titulis scientiae varietatem adjecisset. Id quod vel in patris mentionibus cognoscas. Cujus memoriam quum summâ semper pietate prosequeretur, ipsi tamen pietati magnum cumulum ex eo accessisse sentiebat, quod patris praeter ingenium amplae quoque eruditionis copias admirari deberet. Verum enim vero eruditionis copiosae admiratio nequaquam apud Cramerum tantum valuit, ut non Salmasii thesauris Scaligeri ingenium, vel Casauboni Camerariique elegantiam praeponeret, aut quum Niebuhrium polyhistoris vocabulo decoraret, non simul eum intelligeret, quem historiarum studiis mentem animumque indidisse, et veterum monumentorum disjecta saepe et mutila membra felici audacia sollertique eruditionis usu restituisse scimus. Imo fuit in Cramero haec ipsa superantis ingenii vis, quâ lecta cognitaque omnia proprio semper judicio subjiceret, neque copiis vel varietate obrui sese pateretur. Quapropter si quis ipsum viderat audieratque, mores et vitam non norat, facilius ita de eo suspicari potuit, virum ingenio tam acrem potentemque in studiis parum constantem varietatem magis quaerere quam cursum augendae scientiae operose persequi; certe operae externae, quae oculos saepe manusque magis

quam animum exerceret, esse impatientem. Neque ita conjectanti ipse ille multum obrogasset, qui in praefatione de verborum significatione ipse professus esset, se „intercisos labores subire quam concatenatos durare magis consuesse"; at facile tamen, qui istud judicium teneret, multo, quam par est, iniquius de Cramero statueret. In quo quanta fuerit industria, omni taedio, si officium flagitaret, superior, egregie possumus demonstrare, si ipsius, quam degerit, vitae imaginem quandam describamus.

Illo, quo diximus, literarum amore percussus statim, ut primum munus academicum subierat, studiis sese eâ industria asseruit, a quâ vix senex quidquam remisit. Cognosceres hoc exemplo, verissime esse observatum a Bacone, *inter omnia hominum genera nullum negotia amare propter ipsa negotia praeter literatum;* cerneres eum, qui vitae suae Plinii illud minoris praefecisse videretur: *„Quin tu humiles et sordidas curas aliis mandas, et ipse te in alto secessu studiis asseris! Hoc sit negotium, hoc otium; hic labor, haec quies; in his vigilia, in his etium somnus reponatur!"* Junxerat sibi uxorem, ut diximus, ipsi sedulitate simillimam. Haec „dum festina suas itque reditque vices," dum diligens mater familias nihil defugit, quin saepe etiam ancillari operâ munditias exigat, ipse inter libros suarum opum acervum quaerit. Ac sero vespere, quum ceteri mortales vel remissionibus vel somno se dare solent, Cramerus cum conjuge lucubrabat, ille jurium fontes exquirens, haec pensa trahens sua. His vigiliis corpus ei per totam vitam egregie sufficiebat. Qui ultra quattuor horas somnum vix unquam extrahens sub meridiem, quum alii vix dimidium, jam prope diurnum opus confecerat. Neque domi suae eum unquam a literis suis vel muneris officiis cessantem offendebas, nisi forte domestica sollemnitas patrem familias ad uxoris suorumque consultationes sevocarat, vel suam ipse operam junxerat, ut parvulis placentae et cetera ludicra bene fierent et ornarentur. In museo autem quum delitescebat, ne visitantium quidem amicorum interventus animum alias festivitate omni

scatentem a severitate quam studia addunt abducere poterat. Tranquillus compositusque quantum opus erat disserebat, neque, nisi gravior aliqua novique maxime subsidii mentio incidisset, aut amicus ex bibliothecae ejus copiis aliquid appeteret, in sermones prolixiores cedebat. Eandem intentissimae sedulitatis severitatem posteriori aetate in bibliotheca publica referebat, cui inde ab anno huj. saec. XXVI^to^ praefectus erat. In eâ, postquam ad horas antemeridianas domestico sibi otio satisfecerat, saepe tres vel minimum duas horas consumpsit, in digerendis per loculos voluminibus maximeque in recensendis dissertationum indicibus ita defixus, ut ab opere non despiceret, nisi ad animadvertendos eos, qui copiarum suae curae commissarum appetentes venirent. Quorum quo major erat frequentia, eo impensius gaudebat. Contra enim atque multi saepe bibliothecarum custodes nimii sentiunt, ille hoc potius moleste ferebat ac stomachabatur, si collecta volumina in loculis frustra haererent; intelligens scilicet se non quasi ad silentum defunctarumque animarum claustra Cerberum, sed penus benignae ac multis, si saperent, alimenta lautissima daturae ut condum sic promum esse collocatum. Multo igitur facilius excusabat, si quod volumen crebro usu detritum minus niteret, quam si ipso nitore neglectum exprobraret. Ipse autem tum domi quoque suae magnam otii partem conficiendis catalogis insumebat, tum vel festorum dierum horas antemeridianas inter bibliothecae tabularia sedulus operosusque transigebat. Atque eam perscribendorum indicum operam, quae in mercenarias potius manus cadere videbatur, vir acerrimi ingenii summaeque eruditionis tantâ perseverantiâ persequutus est, ut magna volumina suâ manu accurate mundeque perscripta in sempiternos usus reliquerit. Hoc modo horis matutinis et antemeridianis per negotia otiaque, intentissima et ipsa, transactis, postremis quidem vitae annis eam diei partem, quae aliis, non ipsi altera erat, remissius degebat. Sumpto enim prandio, dum conjux cum neptibus curru vehitur, ipse pedibus ad circulum quendam contendebat, ubi post confabulationes vel conos globo dejicere vel

calculis ludere mos erat; post inclinante die in horto saepe suburbano cum suis aliquot horas non sine libris conversabatur. Sed quum eo vitae tenore ignaris multo quam alii otiosior dies aestivos admodum leniter condere videretur, nae ille, hoc spatio diurno, quod somni parcissimus in horam vigesimam extrahebat, quotidiana pensa egregie explebat. Orta ei erat istius relaxationis necessitas ex malo ventriculi, quod jam juvenis contraxerat, quodque non semel in morbum gravissimum erupit. Eo vero morbo quum conflictabatur, tum maxime ostendit, quanto superiorem corporis vexationibus animum gereret. Ut primum dolor paullum resedit, ad libros suos statim rediit; ut novissima valetudo suis nunquam plus sollicitudinis injecerit, quam quum librorum eum diutius taedere viderent. Ei ipsi autem malo ut medicinam quaereret, inde ab anno super. saec. XCVIII^to^ saepius fontes medicatos, qui circa Rhenum sunt, maximeque Mattiacas Aquas petiit; eo enim non Plinii illo aut medici sui elogio magis quam Schellenbergii facetiis atque Weitzelii tum liberalitate tum elegantiâ invitabatur. Sed hos a munere secessus Cramerus certe Bajano otio similes non habuit; qui omni ejusmodi peregrinatione simul ad inspiciendas bibliothecas et conquirenda undecunque poterat literarum antiquarum monumenta utebatur. Sive enim longioribus ambagibus aquas salubres adibat, sive inter balneorum usum tum ipsam, quae ad Aquas Mattiacas est, bibliothecam lustrabat, tum ad oppida iis vicina currebat, sive denique defunctus stato lavationum numero ampliore circuitu Germaniae Helvetiaeque urbes literatissimas cognoscebat: dux ei et comes perpetuus summus literarum amor eaque industria, quâ semper intentus non provisas solum vel obvias locorum temporumque opportunitates strenue usurparet, sed etiam improvisas animadverteret, novas sagaciter aperiret. Neque ei satis erat, viros in suo quemque genere versatissimos salutare, ex iisque quaerere, si quid bibliothecae, quas *accolerent*, rarum vel minus pervulgatum servarent; sed ipse sese in quosvis angulos latebrasque inexstinctâ aviditate et labore saepe summo in-

serebat, neque ante destitit, quam ecquid codices manuscripti vel virorum nobilium reliquiae ineditae ad usus doctos insigne continerent, vel cognovisset vel notasset et transcripsisset etiam. Ac saepe, ubi nulla bibliothecae neque fama neque suspicio fuerat, incognitos thesauros reclusit, aut in librariorum et qui antiquarii vocantur tabernis, dum vetussissima quaeque volumina tractat, membranas literatas codicum a bibliopegis olim dissectorum particulas reperit. Edidit ipse duo ejus felicitatis specimina; multa alia in volumen apte conserta domi servavit; quae si magni pretii non sunt, certe exempli utilitatem habent aliis ad feliciores conatus profuturi. Inspicientibus autem haec specimina omnemque istam Crameri sedulitatem considerantibus non potest non succurrere, quam factus hic ad locupletandas literas quamque egregie meriturus fuerit, si ei similis atque Angelo Majo locus obtigisset, aut Haenelii aemulus Europam peragrare potuisset. De bibliothecis, quas curiosius saepe quam ipsi accolae pervestigavit, Cizensi, Zwiccaviensi, Bambergensi, Sangallensi, Bernensi, Basileensi, Viennensi, aliis, in Chronicis ipse ea retulit, quibus multorum studia primus adverteret; plura etiam in commentariis notata sive coram sive per literas cum multis communicavit. Utebatur autem omnibus quae repererat tam liberaliter, ut venatori similem diceres, cui in ipsa venatione tanta oblectatio esset, ut saepe aliis investigatas latebras monstraret, ubi certam capturam haberent, nec minus saepe, quae ipse cepisset, primo cuique qui petiisset concederet. Ipse suâ operâ ornatum edidit Scholiastam in Juvenalis Satiras, ad codicis Sangallensis maxime auctoritatem retractatum. In quo quod nuper Orellius testatus est Cramerum medici illius operâ parum idoneâ usum esse, id ipse certe nunquam concessit. Praeterea exhibuit Consentium, et Vitam Augustini ab auctore incerto conflatam. Ita scilicet Cramerus in animum induxerat, ut in lucro apponendum censeret, quidquid monumenti veteris erui posset, etiamsi Mysorum extremus in eâdem, in quâ alii peritiores, chordâ oberrasset.

Perventum est eo, ut genus ipsum literârum, in quo Crameri ardor ille summus versatus est, studiorumque et scholarum, quas longo annorum decursu habuit, ratio demonstranda vel potius in gratae recordationis modum significanda videatur. Potest aliquis dubitare, quam ei potissimum provinciam assignet, et fortasse, praesertim qui ipsum de se profitentem audierit, ambiguum fuisse dicat inter jurisconsultos et philologos. Nam ipse verbo certe se neutris germanum, sed amatorem fortasse utriusque sectae non insipidum ferebat. Ridere solebant amici, quum utrumque ita detrectantem audirent, quasi alterum Socratem. Atqui videtur, quum istâ ambiguitate utebatur, animi quendam sensum sequutus esse, qui a veritate non abhorreret. Nempe his qui nunc sunt neque philologis neque jurisconsultis satis similem dicere poteras. Nam si Hauboldo, qui ex eâdem, qua ipse, Sammetii disciplinâ profecerat, si Hugoni horumque aemulis plurimum tribuebat; si denique Savinio, quâ is lectionis ubertate instructus historiam juris Romani per medium aevum persequutus est, palmam ipse summâ cum existimatione et caritate concessit: tamen non tam hos aemulabatur, quam ad eorum exemplum se componere totum studebat, quorum illi sectam instaurare videbantur, Alciati, Duareni, Cujacii. Horum quasi de ludo pugil non infimus Cramerus studiorum vim virtutemque suorum in philologâ quadam juris Romani scientiâ ponendam duxerat. Qui veteri illâ institutus disciplinâ, quae literis latinis graecisque tradendis omnem humanitatis cultum egregie explere videbatur, Graecis magis magisque summotis, scriptores Latinos maxime ob juris Romani historiam et legebat et interpretabatur, juris vero auctores ipsos philologi tractabat operâ. Quanquam, quae exemplorum illorum in ejus studiis vis erat, omnino philologorum in literis habitabat, versatissimus maxime in scriptis eorum omnium, qui saeculo sexto decimo antiquitatis studia instaurarunt. Ex quibus prae aliis Camerarium in deliciis habebat, quem inde ab adolescentiâ multum lectitatum etiam senior tanti faciebat, ut non sublectas ex ejus scriptis particulas, sed opera omnia collecta ac denuo

edita cuperet: ea enim generi doctorum admodum vario acceptissima fore. Ipse primis quidem muneris academici temporibus Plautum, Terentium, Lucretium et Sallustium auditoribus enarravit. Mox adjungebat Ciceronem, Tacitum, Juvenalem, et hunc maxime tenuit, ut qui creberrimis mentionibus earum rerum, quibus legum ususque publici norma subest, jurisconsulto philologo inprimis opportunus videretur. Fervebat hoc studium Cramero maxime, postquam ejus socium nactus est Heinrichium, qui ab eo inde tempore Juvenalem nunquam deposuit. Cum eodem viro orationum Tullianarum illas reliquias a Majo repertas edidit. Juvenalem excepit Gellius, quem *pulpiti custodem peregrinationumque comitem*, ut ipse vocitabat, usque ad annos extremos magno saepe cum audientium favore in scholis interpretatus est. Neque ignorant qui editos Excursus legerunt, quam docte ac sollerter in Gellii quae de jure sunt capitibus versatus sit; quo magis nobiscum dolebunt, quae de iisdem plura commentatus erat, in editionis usum non modo non perpolita, sed ne notata quidem satis ab ipso esse. Praeter Gellium iisdem posterioris aetatis studiis versavit maxime Suetonium, plus etiam Ammianum Marcellinum et Scriptores historiae Augustae. Praeterquam enim quod quemque scriptorem ita maxime animadvertebat, ut aetatem juris codicibus natalem proxime attingebat, illos historicos a doctissimis editoribus invitatus magis quam deterritus criticâ operâ inprimis tractavit. Pleraque autem sibi potius quam aliis commentatus, quod editioni paratum esset, multo quam vellemus minus reliquit. Illos igitur quum accuratius exigeret, lectionis cursum haudquaquam his, quos significavimus, finibus continuit. Sed probe sciens, ex Patribus quoque ecclesiae quantum ad juris scientiam profici posset, eorum plures, sed studiosissime Tertullianum et Hieronymum legit; quibus mox Augustinum adjecit, quem juris egregie peritum esse saepe testatus est. Denique voluit Cramerus se eum, qui, quorum aliquis usus ad juris Romani intelligentiam esset, omnia legerit. Ac fuit in eo haec studii vis singularis, ut, ne de sentibus

uvas eum collegisse dicam, at in diversissimo librorum genere ea sagacissime dispiceret, quae suo juris studio ullo adminiculo implicata essent. Id quod ei vel in itinerariis, quae plurima legit, atque adeo in fabulis Romanensibus usu venit. Neque multos reperias, in quibus aeque atque in CRAMERO tum ingenium maximae literarum varietati aptum, tum studium sui tam tenax fuerit, ut quod sibi privum ac praecipuum sumpsissent, id in quamvis variâ lectione constanter sequerentur. Tali igitur tamque multiplici lectione quum illos saeculi sexti decimi *semideos* aequaret, et, quoniam ipsorum quoque scripta pervolutaverat, quodammodo superaret: eorundem exemplo etiam sermonem formabat, quo ipse in commentando uteretur. Neque enim orationis elegantiâ familiares sibi e scriptoribus legebat, neque, quum latine scribebat, Ciceronianum se haberi affectabat. Imo ex quavis penu ditem se maluit, et sublectis rarioribus novum potius et acrem, quam tritis probatisque inoffensum. In quo quod Francogalliae potius philologos imitabatur, quam Italos illos, qui veterum operum elegantiam suis scriptis ipsi exprimere studuerunt, id suâ simul, quam de optimo genere dicendi informaverat, lege faciebat. Non semel eum audivimus, quum de hoc genere ita fere praeciperet. Taedet pigetque, inquiebat, Cajorum Titiorumque istorum, qui nil non commune loquuntur; quos quum de doctrinae aliquo loco disserentes audias, sententias quidem sententiarumque argumenta percipias licet, ipsius vero qui rogat nec vola nec vestigium comparet. Ego vero ejus qui loquitur speciem, ego animi, studiorum, vitae denique quam quisque degat haud obscura signa orationi impressa requiro; hominem audiam oportet, non scriptorem, qui medius fidius tantum non alienis etiam malis ridet. Haec ille; qui quod aliis praecepit, ipse certe in omni scriptione non sine summâ legentium oblectatione sequutus est. Praeterea in hoc sermonis usu, quem latine scribentes hodie usurpant, non raro doctam quandam inscitiam notabat; quippe quum multi non tam quod in scriptorum lectione crebri beneque versati didicissent, sed quod rationibus

subtiliter descriptis conveniret, viderentur loqui. In quo iterum habemus similem eorum, quibus antiquitatis cognitio ex ipsorum scriptorum veterum vagâ illâ quidem sed amplâ lectione conficiebatur; quique quid latine, quid secus diceretur, non praeceptis ratione adstrictis, sed usu tenebant. Quanquam ingenii alacritas et quoddam orationis liberioris studium ut alios ita Cramerum, Lubentiae cultorem deditissimum, saepe ita disposuit, ut vernaculâ linguâ quam latinâ in commentationibus quoque uti mallet. Neque patrium sermonem potuit non maximi facere, nisi patris paternorumque amicorum memoriam plane exueret. Animadvertebat ejus aetates ac progressus, reverebatur optime quosque de eo meritos, existimabat scriptorum, qui in elegantiorum sermonibus feminarumque cathedris crebrescebant, puritatem maxime et sanitatem; ipse denique ut pure eleganterque scriberet, summam operam dabat. Sed utrocunque sermone locum veteris scriptoris vel corruptum vel obscurum enarravit, semper praeter orationis praestantiam explicandi illa ars conspiciebatur, quâ totius loci et rei, quâ de agebatur, condicionem explanavit. Expedito per plana accessu lector eo se deductum videbat, ut, quid scriptor senserit vel sentire debuerit, intelligeret, et si quid suberat corruptelae in emendandi viam ultro sequeretur.

Verum enim, quum omnis illa Crameri philologia et lectionis industria hoc agebat, ut juris Romani cognitionem usquequaque persequeretur, tum ipsos ejus juris auctores critici atque interpretis instituto sibi pertractandos sumpserat. Neque enim Cramerus idem sequebatur, quod plerique nunc omnes faciunt, qui jus civile profitentur, ut juris Romani disciplinam in locos suos descriptam explicent usumque demonstrent. Sed ejus disciplinae fontes cognoscere, memoriam undecunque captare, auctores vulgatos ad codicum aliorumque testimoniorum fidem exigere, eorum usum loquendi ac formulas diligenter observare, sententias enucleatissime exponere, hoc ille suum putabat; interpretis denique et quasi repertoris partibus fungebatur, non doctoris, qui repertam doctrinam suo judicio dis-

pensat. Huic igitur interpretis officio intentus ex ipsis Pandectarum et codicis titulis eum, qui de verborum significatione est, prae aliis quum edidit suâ operâ emendatum tum in scholis academicis enarravit. Eodem studio Brissonii opus de verborum quae ad jus civile pertinent significatione nobilissimum suae lectionis copiis locupletandum jam juvenis suscepit. Et quum anno jam huj. saec. XIII^to^ supplementorum suorum specimen publice edidisset, totum Brissonii volumen in novae editionis usum copiose exornatum reliquit; exemplo quidem duplici, ut alterum curas secundas inchoatas non absolutas referat. Neque tamen ejus cura in eo substitit, ut singulorum vocabulorum significationes jurisque formulas illustraret, sed in verborum structurâ, in temporum verbi modorumque usu si quid juris auctores peculiare sequerentur, id quoque diligenter observatum voluit.

Institutum autem, quod sequebatur, omne quî eum non in historiam juris literariam converterit vel maxime? Magna volumina exstant collectaneorum, quibus codicis editiones recensuit, Erbii quoque in eâ re copiis quibusdam usus. Omnium autem in ore ac dudum in historiae juris Romani reperta certissima relata sunt ea, quae de lectione codicis vulgatâ veriora primus Cramerus docuit. Porro quum glossatorum illam sectam inprimis animadvertere deberet, glossae integrae, quae ante Accursium fuit, notationes e libris manuscriptis, quos in Chronicis indicavit, transcripsit. Simili autem operâ quum critices instrumenta varia collegisset, quid in eo genere efficere posset, maxime conscriptâ de Novellis commentatione, et iis ostendit, quae edito de verborum significatione Titulo praefatus est. Sed properare narratio nostra quasi cum ipso ad illos debet, qui saeculo sexto decimo editis auctisque juris auctoribus insigniter meruerunt, et interpretandi codicis artifices ad juris civilis intelligentiam facem posteris praetulerunt. Ex quibus quod Cramerus Cujacium sibi potissimum ad intuendum studiosissime et imitandum elegerat, id nemo mirabitur, qui utrumque satis norit. Etenim quod ad animum quasi explendum studiorumque laetam felicitatem semper

uberrimum est, ut unum aliquem repererimus, sive inter vivos sive inter mutos illos magistros, quem tanquam vitae praesidem omnibus mentis animique studiis amplectamur, id CRAMERO in Cujacio obtigerat. Hujus sicut imaginem ab artifice aequali pictam quasi in larario posuerat, ac corollis propemodum et vittis venerabatur, ita scripta omnia tantâ studii addictissimi curiositate legit et relegit, et cum eorum, qui aetate et studiis illum attingerent, scriptis tam sedulo contulit, ut vel in reconditos sensus sese insinuaret, et si quem ille non nominatum obscurâ significatione perstrinxerat, eos CRAMERUS omnes in numerato haberet. Neque ea modo animadvertit, quae ad doctrinae studia pertinerent, sed de animo, moribus, omni vita Cujacii sui tam multa tamque acute observata in Miscellaneorum, quos sibi conscripsit, fasciculos contulit, ut ex his opusculum, quod post laudatissimum Berriatum Spangenbergius de Cujacio ejusque aequalibus composuit, insigniter augeri ornarique possit. Ac Miscellaneorum fasciculi, quos nunc amici summâ cum voluptate pervolutant, sunt illi omnino referti notitiis ex omni literarum genere delibatis, scripti vero ita, ut utrum doctrinae ubertatem an scribendi genus hilare et lepidum magis amplectaris, saepe dubites.

Assequutus est Cujacii ille amor, quod appetierat: praedicant qui CRAMERUM audierunt uno ore omnes interpretationis artem, quâ in juris auctoribus versatus sit; saepe memorantes quae interpretandi instrumenta attulerit, ut apte disposuerit, callide adhibuerit, quam denique ad enucleatam perspicuitatem locorum intellectus perduxerit, adde, ipsa ratio quantam vim habuerit ad invitandos fingendosque in similes conatus auditores. Eam autem virtutem discipulis erectissimis atque ingeniosissimis maxime probavit. Qui iidem si quid in CRAMERO desiderarunt, id ne Cujacio quidem concedendum viderunt, cujus et ipsius virtus in singulis magis exigendis quam in comprehendendâ constituendâque doctrinâ cernitur.

Juris Romani qui etiamnum obtinet usum, non illum neglexit quidem CRAMERUS, sed sibi non ultra persequendum putavit, quam

scholis academicis sufficeret. Neque de quaestionibus forensibus quod publice ederet, plus scripsit uno responso; nisi in editis multa passim intelligenter posita reperiuntur, quorum in caussis usus est. Dispunctionum juris civilis librum editum anno sup. saec. XCI. exorsus est a critica interpretatione l. X. § ult. D. de poenis, quae nunc communi assensu omnium, qui de suppliciis quaerunt, comprobata obtinet. Atque ipse junior interfuit collegio, quod de jure respondet. In quo quum usque ad belli Germanici tempora pro virili meruisset, dilata per belli illius tumultus negotia non repetiit, sed in singulis, quae ei dirimenda proponerentur, quid verum esset, semper callidissime vidit. Quae eadem rerum intelligentia judiciique promptitudo etiam ad antiquitatis Romanae cognitionem multum ei profuit. Haec enim effecit, ut quae legum et institutorum veterum in vita vis et efficacia fuerit, egregie perspiceret. Neque vero Cramerus non etiam illud abunde praestitit, quod in jurium peritis unum omnium maxime requirimus. In quem summo merito conferas, quod in Philippicâ nonâ in Sulpicium Cicero, *non magis juris consultum quam justitiae fuisse.* Justitiae sensum ut ipse in vita coluit, ita aliorum temporibus et caussis non minori cum fortitudine adhibuit quam intelligentiâ; eam ut vindicaret et doctus et facetus esse, et vero os liberum illud et facundum in promptu habere dicerat. Gratâ ac velut recenti memoriâ tenent collegae, quum anno h. s. XIX^to^ Foederis Germani senatus in universitates literarum ea promulgasset, quae omnibus iniqua in nostram quoque academiam haud levis notae maculam conjicere viderentur, quo tum ardore primus Cramerus exstiterit, qui vindicias agendas censeret, et quum in ejus sententiam itum esset, quam diserto stilo defensionem ipse exhibuerit. Responsum est tum ab iis, penes quos nostrarum rerum regimen est, nostram academiam ab omni labe immunem esse.

Persequuti sumus non quantum voluimus, sed quantum et licebat et desiderio eorum, qui viri praestantissimi memoriam nobiscum

colunt, sufficere videretur. Unum fortasse additum et compositum velint, quod de vitae impigerrime actae fructu superstite est. Si numeres, non ponderes, admodum pauca a CRAMERO edita exstant; quibus quî factum sit ut plura non adderet, id iis qui ipsum viderunt non est obscurum. Ac primum de extremis vitae annis, quum bibliothecae publicae operam addixerat, nulla potest esse exspectatio cupidior. Eorum nisi fructus ad nostram quidem utilitatem uberrimos exstare fateremur, ingratissimi essemus; neque enim inter eam occupationem aliorum operum conficiendorum otium fuit. Antehac autem quod aut inexpletâ aviditate per scriptorum immensa spatia decurrebat, aut colligendi notandique industriam in longum ita jaculabatur, ut delibare quidem ex partis copiis singula posset, conficere vero operis quidquam majoris non posset, denique quod scripturire potius, ut ipse professus est, quam scribere consueverat: id si quis a defuncto aliter administratum velit, sui magis animi vota sequi quam defuncti naturam recte existimare censebitur. Et certe nos non nimium dabimus tristissimae voci, quam Plinius in epistolis eloquutus est: si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est. Habebimus nos, quod summo cum fructu intueamur, exemplum; neque deerit posteris, si in paucos illos, sed egregios libellos, tanto, quanto par est, studio sese insinuaverint.

Dab. m. Majo anni MDCCCXXXIII.

INDICES

eorum, quae a CRAMERO publice edita sunt, v. in his libris: *Lexikon der jetzt lebenden Schleswig-Holsteinischen und Eutinischen Schriftsteller von B. Kordes. Schleswig*, 1797. *p.* 65. *Lexikon der Schleswig-Holsteinischen Schriftsteller von Lübker und Schröder. Altona*, 1829 *T.* 1. *p.* 110—112. Adde quae postea edita sunt: Laetabilia August. et Clem. Principis Friderici VI. Festa natalitia — die XXVIII. Jan. MDCCCXXXII. celebranda — indicit Dr. A. G. Cramer. Inest: *Ad Gellium Excursus quàrtus.* Kiliae, ex offic. Ch. Fr. Mohr. — Vita D. Aur. Augustini Episcopi Hipponensis. Ex antiquo codice nunc primum edidit A. Gu. C. Kiliae in librar. Univers. MDCCCXXXII.